



**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis  
Ecclesiæ**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiæ, 1688**

De Eucharistiæ Sacramento.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

**A**uthoritate mihiab **N.** traditâ Ego absolvo te à vinculo suspensionis , vel interdicti , quam , vel quod propter tale factum , vel causam **N.** incurristi seu incurrisse declaratus es. In nomine Patris **X** &c.

**A**dvertat autem Sacerdos , ne ullo modo in iis facultatis suæ terminos excedat.

## DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

**P**roarchus sumnum studium in eo ponat, ut cum ipse Venerabile hoc Sacramentum ,quâ decet reverentiâ, debitoque cultu tractet, custodiat, & administret; tum etiam populus sibi commissus religiosè colat, sanctè frequenterque suscipiat, præsertim in majoribus anni solennitatibus. Ideò populum sæpè admonebit, qua præparatione & qua animi pietate, & humili etiam corporis habitu ad tam divinum Sacramentum debeat accedere ; ut præmissâ Sacramentali confessione omnes saltem à media nocte jejuni , & utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, atque ita reverenter suscipiant.

**M**oneantur præterea communicantes , ut sumpto Sacramento non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant , aut expuant, sed aliquantis per in oratione permaneant gratias Deo agentes de tam singulari beneficio.

**C**urare porrò debet, ut perpetuò aliquæ particulæ consecratæ eo numero , qui usui infirmorum , & aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pyxide ex solidâ, decentique materia, eaque munda & operculo suo benè clausa, albo velo coopertâ , & quantum res feret in ornato Tabernaculo clave obserato , ad quod lampas die noctuque colluceat; curabitque Parochus , ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque sint, & conserventur.

**S**anctissimas Eucharistiæ particulas frequenter renovabit.

## De Sacramento De Materia & Forma.

**M**ateria hujus Sacramenti duplex est : Panis usualis triticeus non fermentatus , & aquâ naturali confectus , una est respectu Corporis Christi conficiendi . Altera respectu Calicis : vinum de vite , sive ex uvis maturis expressum , usuale , ac substantialiter , & absolute , cui modicum aquæ ex præcepto Ecclesiæ , & quidem graviter obligantis , admiscetur .

*Trident.  
Sess. 22.  
cap. 7.* **F**orma consecrationis panis : Hoc est enim Corpus meum . Calicis verò hæc : Hic est enim calix Sanguinis mei , novi & æterni Testamenti Mysterium fidei , qui pro vobis , & pro multis effundetur in remissionem peccatorum .

### De Ministro.

**M**inister est solus Sacerdos ; distributio tamen in casu necessitatibus Diacono committi potest , quæ quidem si moralis sit , licet non extrema , sufficit .

Eucharistia , si detur ut viaticum , dari debet infirmo à proprio Parocho , vel alio Sacerdote de ejus licentia , dum enim pro viatico administratur , est actus jurisdictionalis , spectatque ad jus pastorale , quod proin nemo alias sive sacerdotalis , sive regularis sine commissione usurpare audeat .

### ORDO MINISTRANDI SA- cram Communionem populo sano tam in Paschate , quam aliis diebus .

**S**acerdos igitur SS. Eucharistiam extra Sacrificium Ministratus , hostiis , seu particulis pro populi multitudine consecratis , lotis priùs manibus , & superpelliceo , stolâque coloris officio illius diei convenientiis indutus , sive retentis paramentis , & vestibus sacris , si celebrârit , præcedente clero seu alio Ministro vinum ad purificationem eorum , qui communionem sumpturi sunt , præferrente procedit ad altare manibus junctis , & accensis cereis , factâ priùs , & postea genuflexione , extrahit ciborium seu pyxidem , & illam